

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Rahn

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne, I.D. &  
Professor, Ad Festum Michaelis Archangeli, Rite peragendum, Cives Academicos  
Sedulo invitat atq[ue] hortatur**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811837>

Druck    Freier  Zugang



R.U. Progr. 1643

1) Joachim Schnobel

2)

3) Heinr. Rapine

4) Joach. Stockmann



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811837/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811837/phys_0002)

DFG

3

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
**HENRICVS RAHNE,**  
J. D. & Professor,  
AD FESTUM  
**MICHAELIS ARCHANGELI,**

Rite peragendum,

*Cives Academicos*  
Sedulò invitat atq; hortatur.



**ROSTOCHII,**

*Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.*  
ANNO M. DC. XLIII.



VM innumera fint erga genus humanum Dei beneficia, tum haud postremum locum illud occupat, quod corpori pariter & animæ nostræ custodes dedit, quorum excubiiis contra medias astutissimi Dæmonis infidias, contra formidolosos turbulentissimi mundi fluctus, contra objectos undiq; adversitatum humanarum scopulos tutis nobis esse licet. Ingens profecto dignatio, &, quam nemo satis de prædicare queat, charitas ! Mandavit Angelis suis de te, o homo, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Perpende altius hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit ? Dominantium & Dominorum Dominus, Deus Deorum, & Dominus Exercituum. Et mandavit Angelis suis ? illis utiq; tam beatis, tam familiariter sibi adhaerentibus cœli civibus, & verè domesticis Dei. Mandavit de te, o homo ? sed tu quis es ? Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum ? Quasi vero non sit putredo & vermis, merum lutum (erubescimus) sed scitè mixtum & compactum.

Ti ðēns ; nī ð' ēnīs ;

Σηῆς ὄναρ αὐθεωπ

Ve-

Verum quid mandavit de te? ut custodiant  
te in omnibus viis tuis, sint pœdagogi tui, semper  
re insequantur, nunquam à latere recedant, o-  
mnem incessum tuū, passusq; singulos ad nume-  
rum revocent. Quam ob causam spiritus liturgici  
appellantur, conditi propter eos, qui futuri sunt  
hæreditas Dei. Qui ergo eâ immanitatem naturæ  
est, ut existimet se inter vitæ innumera discrimi-  
na aut casu, aut hominum præsidiis servatum esse  
& hodienum conservari, is mihi gigantum mo-  
re videtur θεουργία. Angeli sunt, qui divinæ  
erga nos beneficentia dispensatores & admi-  
nistri vigilant in rem nostram, etiam cum nos in  
utramvis aurem stertimus. Angelorū ministerio

*JONAS puppe cadens, ceto sorbente voratus  
in pelago non sensit aquas; vitale sepulchrum,  
Ne moreretur, habens, tutusq; in ventre ferino  
Depositum, non præda, fuit, vastumq; per aquor  
Venit ad ignotas inimico remige terras.*

Angelorum præsidio in scirpea fiscella Mosen,  
Danielem in leonum fovea, Juditham in hostiū  
castris, Hebræos tres juvenes in ipsis flammis ser-  
vatos esse legimus. Neq; nobis hac tempestate  
sternuntur rosis ac liliis viæ. Ubiq; naufragium,  
ubiq; periculum est; terra, mari, domi, foris.

*Κακῶν ὁ πέλας πέλαγος ἐπορῶ  
Τοσσόν, ὡς μὴ πότ' εκνόσου πάλιν.*

*Quæ gens, quæ regio tulit*

A 2

Tam

*Tam mula dictu gravia, perpessu aspera,*  
quām hodie nos Germani, ex quo bonum publicum  
simulantes pro sua quisq; potentia certat?  
Bellum quod initio facile sumtum, nunc verò æ-  
gerrimè desinere posse dolem<sup>o</sup>, quas non clades  
& calamitates peperit, & adhuc, prō dolor, parite

*notum quid cede calentibus armis*

*Quantum ira liceat, motusq; quid audeat ensis.*

Pudor Christiani orbis!

*Stat crux in templis, multaq; rubentia cede*

*Lubrica saxa madent. nulli sua profuit aras.*

Neq;

*ullus aratru*

*Dignus honos, sgallent abductis arva colonis.*

Usque adeo

*Scelerata, demto fave, per cunctas domos*

*Iure, nullum caruit exemplo nefas.*

Et quæ præterea animus meminisse horret.  
Jaetamur enim, ut in undoso mari, non uno ven-  
to turbarum seditionumq;. Quot myriades  
hominum pestis, fames, terræ labes, inundatio-  
nes, morbi, mortes absorpsere? Quot pori cor-  
poris, ait ille, tot ostiola mortis, per quæ impro-  
visa irrepatur. Nec sudamus nec algemus absq;  
periculo, nec mensam nec lectum à periculis se-  
curi adimus, & verè sub omni lapide scorpius  
dormit. Quas non insidias & fraudes struit car-  
ceribus suis emissus Satanus? Dies me deficeret,  
si velim numerare pericula omnia, quibus un-  
diq; cincti sumus. Absq; igitur Angelorum ope

&

& tutela fuisset, centies & de nobis conclamatū fuisset. Beatæ illæ mentes tūm maximè præsen-  
tes & solicitæ sunt de Christianis, cœlorum Can-  
didatis, cum in angustijs versantur. Ita Angelus  
protegendis Israëlitici populi castris præfectus  
fuit, & quoties voluit Deus Israëlem redimere è  
manu hostium, Angelorum ministerio vindices  
excitavit. Pro tot verò tantisq; in homines me-  
ritis exigunt à nobis non adorationis cultum,  
quem oblatum acriter à se quondam repulerūt,  
sed ut virtutes exerceamus, atq; vitia cane pejus  
& angue fugiamus. Aversantur enim genii illi  
cœlestes & ab omni concretione mortali segre-  
gati, quicquid vitium redolet. Vere scripsit ma-  
gnus ille Basilius: Quemadmodum fumus apes  
in fugam dat, & fœtor columbas expellit: ita la-  
crymabile & fœtidum peccatum angelum vitæ  
nostræ custodem à nobis sejungit. Excellens il-  
le sapientiæ nominisq; Romani Sol Seneca non  
perfuntoriè suum Lucilliū hortatur, ut viri gra-  
vis præsentiam assiduo cogitatū sibi proponat,  
cum, accipe, inquit, & quidem utilem & saluta-  
rem clausulam, quam te affigere animo volo. A-  
liquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper  
ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spe-  
stante vivamus, & omnia tanquam illo vidente  
faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si  
peccaturis testis adsistat. Hæc ille. Quis verò me-  
lior

lior Angelo custode? Quē si unusquisq; præsentē  
sibi ubiq; recordaretur, & ex oculis nunquam  
dimitteret, vereretur sane peccare, nisi omnem  
pietatem exuisset. Nos ita faciamus, & videa-  
mus etiam atq; etiam, ne nostrā culpā Angelo  
Tutelari nudemur. Procul vero habenda est  
voluptas, illa esca serpentis, cicuta virtutis, spu-  
ma & sperma Veneris, sentina & tæda turpitudi-  
nis. Nunquid voluptati dedita ab Angelis amari  
speras? O te insanum, quisquis putes. Porcus  
ille Aristippus olim existimavit fieri posse, ut Sar-  
danapalus aliquis libidinum ac voluptatum Char-  
ybdis felix evadat? Verum non hominis, sed  
pecudis voce locutus est. Ut Angeli integerri-  
mi sunt spiritus & nullam unquam labem con-  
traxerunt: ita de homine gaudent, qui se illis,  
quantum conando potest, castitate quam simi-  
limum reddit. Abite igitur impuri, odio estis &  
Angelis & Angelorum Regi. Quo quisq; pu-  
riore est, ait Ambrosius, eo magis est custoditus &  
circumdatus ab Angelis, qui ob similitudinem,  
quam virgines castiq; cum eis gerunt, plurimum  
cum eis versari delectantur. Apage superbe,  
turpissimum monstrum, aut superbiæ valedi-  
cas, aut hostes habebis omnes Angelos. Ex An-  
gelo fecit Diabolum superbia. Lucifer unde su-  
perbiret, sed habuit etiam, unde superbus rueret.

Au-

Audite sultis iræ ac invidiæ pessimarum  
matrum pessimi filii. Vos antiquum obtinetis,  
& tamen speratis Angelos amicos? quæ vos de-  
mentia cepit? O vos cœcos homines, si in men-  
tem hoc admittitis. nausea estis. Pleni namq;  
Diaboli invidiâ, amore Angeli. Nuncium ergo  
omnes & singuli mittite vitiis, mittite Diabolo,  
& seriò absq; mora pœnitentiam agite, aut cœ-  
lum amisistis. Resipiscendo Angelis gaudium  
creabitis. nam lacrymæ pœnitentium, ait Bern-  
hardus, sunt vinum Angelorum. Alexander  
Magnus cum aliquam urbem obsidione cinxis-  
set, publico in loco facem accendebat, voceq;  
clarissima per præconem edicebat, incolumes  
futuros omnes, qui quamdiu fax arderet victoris  
se potestati tradidissent; extinctâ vero face spem  
nullam amplius superesse salutis. Eodem pror-  
sus modo, quamdiu vitæ hujus fax ardet, clamat  
Deus: Convertimini ad me, tradite vos, ape-  
rite mihi portas vestras, namq; ubi fax erit extin-  
cta per mortem, nullus amplius indulgentiæ lo-  
cus, spes omnis abscissa erit. Plura dicerem,  
nisi Sapiens uno oraculo pronunciasse omnia vi-  
deretur, memorare novissima tua, & in æternum  
non peccabis. Brevi aderit, qui te ducet ad  
PLURES. Quod si curiosus ille naturæ arcana-  
rum indagator Albertus Magnus verè tradit,  
nunquam

nunquam amplius in nidum suum coryvos rever-  
ti, cum eidem cineres aut vitri pulveres inspersos  
animadverterunt, nunquam etiam amplius in-  
fernalis ille corvus Satanas tuum ad animum re-  
dabit, in quo mortis venturæ cineres recorda-  
tione quadam conspersos esse videbit. Hoc co-  
gitandum tuendumq; sibi quisq; sedulo putabit.  
Quod restat, Cives Academicos diligenter pater-  
neq; admonemus & hortamur, ut festum hunc  
diem piis meditationibus ac audiendis concio-  
nibus devotè transigant, immortali Angelorum  
Domino rite sacra faciant, eiq; pro excubiis &  
custodia eorundem gratias quantulascunq; he-  
beti mente nostra concipere, & obtusis cogita-  
tionibus assequi possumus, habeant & agant;  
eundemq; rogent, ut, in hac extrema & effœta  
mundi senecta, inter tot furores Satanæ ho-  
stiumq; verbi sui machinationes, Ecclesiæ & A-  
cademiæ nostræ hospitium Angelorum præsidio  
porrò clementer tueatur ac defendat. Facite se-  
rio, quod facitis. Oscitantia enim in seriis &  
sacris tam grande, quam turpe piaculum est. P.P.  
RostochI sub sigillo Universitatis XXIX. Se-  
ptemb. Anno clo loc XLIII.

66( )66



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811837/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811837/phys_0011)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811837/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811837/phys_0012)

DFG

piamus & colamus, si p̄e  
lytron, quod in se ipso, redi-  
lutis causa, persolvit, grat-  
mus, ac justa lance ponder-  
mus. Si seriā p̄enitentia cu-  
Adami exuvias abjiciam⁹, &  
novum induamus hominem  
tistites sacra facturi ēḡs ēḡs  
mabāt, procul hinc, procul e-  
sublimiora nulla sunt sacra,  
Genethliaca, quare & hinc p̄  
sacris penitus absint, quomo-  
fanaturi. Non reperiantur  
contemta, vel imprudenter  
huic festo debita religione, ir-  
consverunt, ita & perre-  
reperiantur qui publicis con-  
tas horas chartæ, aleæ, comp-  
pendant, & hoc ipso tempore  
te Angelorum choro, illud C  
EX CEL SIS ingeminari pa-  
& Cyclopicis clamoribus &  
bus fora & plateas implent, q  
meliorem mentem precamu-  
madversiones denuntiamus;  
submissè invocamus, ut quas




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_